

praeceptorum adimpletionem ordinari ad causandam gratiam habitualem. Ergo...

126. Obj. 1.^o Ad salutem consequendam sufficit impletio mandatorum ut constat ex S. Mattheo c. XIX. Sed restitutio non videtur esse aliquod mandatum ex decem. Ergo...

Resp. Conc. *Maj. Neg. Min.* pertinet enim ut ex dictis constat ad praeceptum non furandi.

Obj. 2.^o Nullus tenetur reddere alienum, quando verus dominus remittit debitum. Sed quisque dominus tenetur remittere debitum nolenti reddere. Ergo... *Min. prob.* Quia quisque ex charitate tenetur salutem spiritualem proximi praeponere suo bono temporali: Ergo si debitor peccat mortaliter non reddendo, tenetur creditor remittere.

Resp. Conc. *Maj. Neg. min.* Ad ejus probationem respondeo per distinctionem... tenetur praeferre suo bono temporali, si provenit ex malitia; neg. Si non provenit ex malitia; conc. Sic si quis vellet se occidere nisi ei darentur mille aurei, tunc nullus obligaretur dare.

Obj. 3.^o Christus arguens pharisaeos de rapina dixit (1): *Verumtamen quod superest date eleemosynam et ecce omnia munda sunt:* ubi ad purgandam rapinam non restitutionem, sed eleemosynam injunxit: ergo.

Resp. Hoc argumentandi genere nec fides nec poenitentia, etc., essent necessariae ad salutem, etenim *omnia munda sunt* si das eleemosynam; non est igitur sensus verborum Domini exclusivus restitutionis sicut non est fidei, poenitentiae, etc., sed vel commendat utilitatem eleemosynae quae disponit ad poenitentiam et restitutionem, vel consulit erogare eleemosynam ex iis, quae supersunt facta restitutione, vel forte ironice loquutus est Christus in hunc modum: «ecce post rapinas date eleemosynas et reputate vos mundos esse, cum sitis fures.»

Obj. 4.^o Contritio perfecta in fure non baptizato non minus est et debet esse votum Baptismi quam restitutionis. Sed votum Baptismi est necessarium necessitate medii. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Non minus est, eadem ratione; neg. Diversa; conc. Contritio perfecta est votum Baptismi ut hic est medium deletivum peccati conferens primam gratiam; est votum restitutionis, quatenus haec est necessaria tantum ad vitandum novum peccatum, non quatenus ipsa per se sit aliquo pacto sive proxime, sive remote, sive formaliter, sive virtualiter praecedentium peccatorum deletiva, gratiam conferens.

127. *Scholia.* I. Praeceptum restitutionis est partim

(1) Luc. XI, 41.

positivum quatenus explicite praecipit actionem positivam restituendi, partim negativum, quatenus implicite prohibet retentionem rei alienae; unde obligat semper et pro semper, nempe dum spectatis omnibus circumstantiis rei dominus censetur rationabiliter invitus, ne diutius differatur. Ideo ex hac potiori parte et obligatione majori potest dici simpliciter negativum (1).

II. Duae sunt radices restitutionis (2), nempe res accepta et injusta acceptio.

Res accepta est res aliena ex justitia domino suo restituenda, quomodocumque apud aliquem existat. Injusta acceptio est quaelibet injusta damnificatio. Hae duae radices quandoque concurrunt, ut patet in eo, qui bona fide emit rem furtivam, eamque possidet.

III. Obligatio restitutionis ex injusta acceptio-
ne est multo onerosior quam orta solum ex re accepta.

Qui enim tantum tenetur ex re accepta: 1.^o Si res casu aut realiter pereat, ad nihil obligatur. 2. Solum obligatur ad fructus extantes, aut quatenus factus est ditior. At vero qui ex injusta acceptio-
ne, tenetur: 1.^o Rem quomodocumque perierit restituere cum omnibus fructibus perceptis. 2.^o Omnia damna sequuta resarcire. 3.^o Ut notat D. Thomas (3), ad poenam impositam per condemnationem judicis, ut pro culpa satisfaciatur (4).

THESIS XX.

Obligatio restituendi in foro conscientiae, nec ex culpa mere juridica ante judicis sententiam, nec ex culpa theologica tantum veniali datur.

128. *Nota.* I. Diximus ex injusta acceptio-
ne oriri obligationem restituendi. Quaerendum ulterius est an ex omni peccato, vel culpa tum veniali tum mortali, vel an etiam ex culpa mere juridica, nascatur haec obligatio. Culpa alia est theologica, alia juridica. Prior est peccatum seu reatus culpa-
e coram Deo, qui reatus potest esse mortalis vel venialis. Posterior est juxta Lessium (5) «omissio alicujus diligentiae unde sequitur aliquod incommodum.» Haec potest esse conjuncta vel non conjuncta cum culpa theologica. Dividitur in latissimam, latiore-
m, latam, levem, levissimam. Latissima est dolus apertus; latior dolus praesumptus, cui annumeratur ex La-Croix (6) ignorantia juris communis; lata est omissio

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 62, art. 8, ad 1.—(2) Ibid. a. 6.—(3) Ibid. a. 3.—
(4) Platelli nn. 730-733.—(5) L. 2, c. 7, n. 22.—(6) L. 3, p. 2, n. 170.

diligentiae, quam communiter adhibent prudentes in negotio similis conditionis: levis est omissio diligentiae, quam tantum adhibere solent prudentiores aut providentiores: levissima est omissio diligentiae exactissimae. Exemplum culpa latissimae est, si librum commodatum des furi; latioris, si relinquant in domo furis; latae, si relinquant extra cubiculum; levis, si relinquant in cubiculo, sed non claudas; levissimae, si relinquant in cubiculo et claudas ostium, sed non tentas an sit vere clausum.

II. Celebris est in hac materia Lex Aquilia (1), quae olim tria capita habebat, nunc tantum duo, quia secundum non extat. In ea statuitur quid restituendum sit pro occisione et vulneratione mancipii et pecudis, per injuriam saltem juridicam facta. Item notandae sunt aliae leges noxales (2). sic dictae, quia sunt ad damnum reparandum; de quibus aliqui dicunt eas obligare ante iudicis sententiam (3). In Hispania haec reguntur codice poenali. Ratione igitur harum legum et obligationis naturalis reparandi damnum injuste illatum quaeritur. 1.º An propter culpam tantum juridicam, teneatur quis ante sententiam damnum illatum reparare? 2.º An propter culpam venialem theologiam levem, damnum grave reparandum sit.

III. Ad primum communis sententia cum Molina, Lessio, Lugone (4) respondet negative, contra Angelum, Panormitanum et alios, qui affirmant ex omni culpa etiam levissima juridica oriri obligationem restituendi.

Ad secundum dicimus damnum grave, quia non est sermo de culpa veniali ex parvitate materiae seu damni illati: tunc enim certum est, quod si furtum unius regalis est peccatum veniale, sic et retentio illius erit peccatum veniale, atque ideo ex damnificatione levi in ea quantitate insurget etiam obligatio sub veniali restituendi. Hoc notato aliqui affirmant, ut Molina, saltem quoad partem levem quae respondeat levitati culpa; alii quoad totum, ut Vazquez, Turrianus; alii omnino negant ut Soto, Sa, Lessius, quos sequitur Lugo (5).

129. I.ª Pars. Prob. 1.º Obligatio restituendi oriretur vel ratione rei acceptae, vel injustae acceptionis, cui damnificatio adscribitur; vel contractus cum damnificante. Sed nullum ex his dici potest. Ergo... Non primum, ut constat; non secundum, nam ubi non est peccatum, non est injustitia; sed neque oritur ex contractu, cum nullum supponamus: ergo non est ponenda talis obligatio.

2.º Ut constabit ex secunda parte, neque ex veniali theologica tenetur quis restituere. Ergo multo minus ex sola juridica.

(1) § 12, Institut. — (2) L. IV. Institut. 8 et 9. — (3) V. Lugo. D. 8, n. 46. — (4) Ibid. n. 49. — (5) V. Lugo D. 8, n. 57.

II.ª Pars. Prob. 1.º Quia obligatio sive gravis sive levis restituendi damnum grave, oriretur non quidem ex re accepta, ut patet, neque ex injusta acceptione, quae, utpote levis, est injuria imperfecta improporcionata ad inducendam restitutionem magnam perfectam. Ergo...

2.º Talis obligatio sive sub gravi, sive sub levi intenderetur a natura vel in poenam damni gravis illati, vel in remedium ad coercendos homines ab his damnificationibus. Sed neutrum urget. Ergo... Non primum, quia poena esset excessiva et improporcionata; non secundum, quia frustra fieret, cum in culpis levibus, non advertant homines neque ad delictum, neque ad obligationem delicto adnexam. Confir. Cum solum venialis culpa in damno inferendo intercessit, ut cum ex quadam inconsideratione animi provenit, censetur quasi fortuito obvenisse. Quis enim, ait Lessius (1), in rebus etiam periculosis non aliquando aliquam negligentiam admittit? Sed haec rarissime accidunt: quare merito quasi fortuita videri debent, quae ad nihil obligant.

130. Obj. 1.º Lex justa fori externi, obligat etiam in foro interno. Sed lex Aquilia et similes noxales sunt justae pro foro externo. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Post sententiam iudicis; conc. Ante subdist. Si talis esset sensus legis; conc. Secus; neg. Et contradist. *min.* neg. *conseq.* Talem esse sensum harum legum patet ex ipsis verbis legis Aquiliae (2): «Ut id damnum sarciatur, competentis iudicis auctoritate consequeris... ejusdem iudicis cura impetrabis.» Difficultas evanescit, quando leges sunt poenales, quae generatim ante iudicis sententiam non constringunt.

Obj. 2.º Jus canonicum, quod certe respicit forum internum, ex culpa mere juridica obligat ad resarciendum damnum. Ergo... Prob. *antec.* Gregorius IX (3) consultus circa haec respondet, quamvis damna «imperitiã tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.» Confir. e. Stephano V (4), monente parentes, ut tenellos infantes non collocent secum in uno lecto, ne etiam per negligentiam, involuntarie sint homicidii rei. Ergo...

Resp. Dist. seu explico sensum: Satisfacere te oportet; ex imperitiã qualicumque; neg. Graviter culpabili; conc. Subdit enim: «nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.» Ad confir. eadem est responsio cum moraliter impossibile sit, ut talis negligentia non sit conjuncta cum culpa theologica.

(1) L. 2, c. 7, n. 28. — (2) L. 2, cod. de Leg. Aquil. — (3) C. ult. de injur. et damn. dato. — (4) C. *Consulisti*, caus. 2, Q. 5.

Obj. 3.° Advertentia sufficiens ad veniale respicit totum damnum; ergo totum est restituendum. Confir. Nam aliter innocens prae nocente cogereetur sustinere totum damnum.

Resp. Dist. *antec.* Totum damnum imperfecte; conc. Perfecte ut plene voluntarium; neg. Ad confir. Dist. Prae nocente libere causante damnum; neg. Fere indeliberate non aliter ac cum fortuito evenit; conc. Hinc, cum hujusmodi actus cuiquam probo et timorato accidere possunt, ipse laesus ante omnem eventum desideraret non induci talem obligationem ex culpa levi, quam ipse faciliter admittere posset.

Obj. 4.° Onus restitutionis sequitur damnum illatum: sed hoc est grave. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Ratione rei acceptae existentis in re vel in aequivalenti; conc. Injustae acceptionis, subdist. Gravis; conc. levis; neg. Constat ex probationibus.

Obj. 5.° Culpa veniali non est improporcionata poena gravis: Ergo nec obligatio restituendi damnum grave. Prob. *antec.* Poena purgatorii gravis est, item excommunicatio minor; nec non mors temporalis. Sed hae poenae juste infliguntur vel infligebantur pro peccato veniali. Ergo.

Resp. 1.° Nimis probat illud de poena purgatorii; nam concesso *antecedente*, liceret ob furtum oboli hominem suspendere.

Resp. 2.° Neg. *antec.* Ad probat. ad poenam Purgatorii, dist. Est gravis respective ad forum temporale; conc. Ad forum divinum; neg. Ad poenam excommunicationis, erat gravior secundum quid; conc. Simpliciter; neg. Quivis enim faciliter poterat se liberare ab ea. Ad poenam mortis pro veniali respondetur sicut ad poenam purgatorii.

Obj. 6.° Dari potest obligatio levis ad rem gravem ex lege positiva, contractu, voto; ergo etiam dari potest saltem levis obligatio naturalis reparandi damnum grave.

Resp. Neg. *conseq.* et paritatem. Nam obligatio naturalis est universalis ac necessaria, ideoque semper proportionata culpa; obligatio autem proveniens ex lege positiva, contractu, voto, libere pendet a voluntate hominum, qui sicut possunt obligationem restituendi remittere, ita exigere tantum sub levi.

Inst. Saltem erit obligatio restituendi proportionate ad culpam levem. Ergo.

Resp. Neg. probabilius; debent enim haec ut saepius diximus considerari sicut ea, quae fortuito eveniunt, et aliunde difficile esset determinare quantum deberet restitui, et irrationabiliter laesus peteret restitutionem quam ipse et homines communi consensu nolent ante omnem eventum.

Obj. 7.° Damnum leve inferens, licet putet se peccare graviter,

non tenetur nisi leviter ad reparandum damnum. Ergo e contra qui damnum grave infert, putans se leviter peccare, tenetur, etc.

Resp. 1.° Retorqueo: culpa gravis sine materia gravi non parit obligationem gravem restituendi: ergo similiter materia gravis sine culpa gravi non parit, etc.

Resp. 2.° Neg. *conseq.* Quia culpa gravis et materia gravis simul requiruntur ad obligationem gravem inducendam.

Obj. 8.° Qui post multa furta minuta admittit aliud, quo complet summam gravem obligatur graviter ad restituendum. Sed iste non nisi leviter peccat. Ergo ex levi, etc.

Resp. 1.° Dist. *Maj.* Si ex aliquo capite vel advertentiae ad damnum grave, vel retentionis rei notabilis, interveniat injuria formalis gravis; conc. Secus; neg. Non in alio sensu quam in hoc damnata est ab Innocentio XI, propositio 38.^a, quae sic se habet «Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque magna sit summa totalis.» *Min.* dist. Semper; neg. Aliquando; conc. et neg. *conseq.*

Resp. 2.° conc. *Maj.*; neg. *Min.* quia iste graviter peccat saltem in ultimo furto, vel cum cognoscit se retinere summam gravem alterius.

Obj. 9.° Projiciens in mare cum injuria alterius gemmam, quam putat valere centum aureos tenetur solvere mille, si mille aureos valeat. Ergo qui existimaret valere duos argenteos, tenebitur etiam, etc. Sed iste tantum peccabit leviter. Ergo...

Resp. 1.° Probabiliter cum plurimis: Dist. *antec.* Teneretur in foro conscientiae, ante judicis sententiam; neg. Post; conc.

Resp. 2.° Neg. paritatem, nam in primo casu datur injuria gravis, quae juxta aliquos (1) inducit obligationem resarciendi totum damnum etiam imprevisum, cum afferat secum onus reddendi indemnem dominum; injuria autem levis est incapax obligationis gravis.

SCHOLION.

De cooperantibus ad damnum.

131. Dico I. Cooperantes sive positive, sive negative ad damnum alterius, tunc debent restituere, cum effective causant damnum; et si ita concurrunt ut singuli sint causa totius damni, tunc singuli obligantur in solidum.

Nota. Cooperatio ad damnum alterius novem modis his carminibus contentis, fieri potest:

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

(1) Vid. Lugo D. 8, n. 63.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Ea explicat D. Thomas (1): «Quicumque est causa injustae »acceptationis, tenetur ad restitutionem. Quod quidem contingit du- »pliciter: directe scilicet, et indirecte. Directe quidem, quando in- »ducit aliquis alium ad accipiendum, et hoc quidem tripliciter: »primo quidem modo ex parte acceptationis, movendo ad ipsam ac- »ceptionem, quod quidem fit praecipiendo, consulendo, consen- »tendo expresse, et laudando aliquem quasi strenuum de hoc, »quod aliena accepit; alio modo ex parte ipsius accipientis, quia »scilicet eum acceptat, vel qualitercumque ei auxilium fert; tertio »modo ex parte rei acceptae, quia scilicet particeps est furti, vel »rapinae, quasi socius maleficii. Indirecte vero, quando aliquis non »impedit, cum possit et debeat impedire, vel quia subtrahit prae- »ceptum, sive consilium, quod impediret furtum vel rapinam; vel »quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere; vel quia oc- »cultat post factum.»

Ex his modis sex primi influunt *positive* seu directe per pro- priam actionem in damnum proximi, alii tres indirecte seu *nega- tive* per subtractionem actionis debitae ad damnum impediendum.

Singuli sunt causa totius damni, quando sine alicujus ex coope- rantibus causalitate, nulla alia causa superaddita effectus non fieret. Singulos obligari in solidum significat unumquemque obligari ad totum, non absolute sed conditionate et dependenter ab invicem nempe si alii non restituant.

I.^a Pars. Prob. 1.^o Cum Apostolo ad Rom. (2): *Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Sed cooperantes efficaciter consentiunt facientibus. Ergo.

2.^o Radices restitutionis sunt res acceptae, vel injustae acceptio- nes. Sed qui efficaciter est causa damni est injustus acceptor. Ergo...

II.^a Pars. Prob. In casu secundae partis singulae causae partia- les, moraliter aequivalent totalibus. Sed causa totalis moralis tene- tur, etc. Ergo... Prob. *Maj.* nam licet singulae non possint ponere effectum et damnum: singulae tamen possunt impedire illud sub- trahendo suum concursum et cooperationem, sine qua effectus non fieret. Ergo.

132. Dico II. Cooperantes efficaciter ad damnum obligantur ad restitutionem etiamsi sine tali cooperatione damnum adhuc inferretur.

Sic Cajetanus, Sotus, Medina, quos refert et sequitur Vazquez. Idem Lessius, Molina, et alii recentiores com- muniter, ut ait Card. de Lugo (3), qui concludit: «et in rigo- re videtur vera» haec assertio, sed nota: a) Concurrens quolibet ex modis dictis non tenetur ad restitutionem si revera suo consilio vel auxilio, etc., non influit de facto ad damnum; quia solus af- fectus nocendi sine effectu, licet sit peccatum, non parit obligatio- nem restituendi. b) Cooperans non ideo excusatur a restitutione, quod, eo non cooperante, alius non defuisset qui cooperasset; quia

(1) 2, 2, Q. 62, a. 7.—(2) I, 32.—(3) D. 19, n. 3.

talis est causa in hoc casu; alioquin occidens non erit causa damni, si alius erat occisurus. c) Cooperans si non ad totum damnum sed ad solam partem partialitate effectus concurrat, non tenetur ad restituendum totum, sed solum partem illam.

Prob. Ita cooperantes v. g. per consilium, quoties eorum consi- lium vere movet et influit, licet eo deficiente damnum adhuc in- ferretur, sunt causa injusta damni per injuriam formaliter talem: ergo obligantur ad restitutionem ratione injustae ablationis. *Antec.* Prob. Quia esse causam importat illam influere de facto influxu proportionato in suo genere: sed tunc cooperantes v. g. per consi- lium vere consiliis influunt, cum ab illis moveatur fur de facto ad furandum, licet non ab illo solo; ergo revera sunt causa damni.

Dices. Illa dumtaxat est causa vera, qua posita, sequitur effectus, et qua non posita, non sequitur: ergo si absque tua cooperatione effectus nihilominus sequeretur, tua cooperatio non est causa.

Resp. Neg. *Antec.* Idem enim effectus potest oriri ex multis cau- sis: sic aliquis potest moveri ad idem omnino; v. g. ad adeundum Romam, ex duobus motivis, ita ut, uno deficiente adhuc altero suf- ficienter moveretur.

Si quaeris ad quantum teneantur cooperatores.

Juxta Card. de Lugo (1). Sententiae tres respondent: 1.^a docet, illum qui damnum intulit, non teneri de toto damno illato, sed tantum de parte quam ipse intulit, quando damnum aequae fuisset etiam ipso non concurrente. Sic Navarrus, Adrianus, Silvester. 2.^a asserit, quoties causa operans in- fluit non in unam solam partem damni, sed in totum, licet influat partialiter, et licet sine ipsa fieret damnum, obligari tamen ad restituendum totum; quod intelligitur si alii non restituant. Sic Medina, Cajetanus, Sotus, apud Vazquez, Molina, Covarruvias, Layman, Tannerus, quos affert Diana, etc. 3.^a docet, quoties plures concurrunt partialitate causae ad idem damnum etiam individuum inferendum, non teneri singulos ad totum damnum in solidum, sed ad partem illius. Sic Henricus, Strovesdorff, quem affert Diana.

133. Cooperantes negative tunc tenentur resti- tuere: 1.^o Quando omiserint culpabiliter damnum impedire. Constat ex thesi. 2.^o Quando sine suo gravi damno potuerunt impedire; quia nemo censetur se obligare ex officio vel contractu ad impediendum damnum alterius cum proprio gravi detrimento. Excipitur tamen nisi id exposcat speciale pactum vel officium. 3.^o Quando impedire tenebantur ex justitia; quia obligatio resti- tuendi solum oritur ex justitiae violatione. Hoc tertium negat Cajetanus cum paucis aliis, qui volunt, solam obligationem charitatis sufficere, ut non impediens teneatur ad restitutionem (2).

134. Quoad restitutionis ordinem notandum: 1.^o Ex obligatis in solidum, alios obligari principaliter et primario, adeo- que ante alios, sic ut ipsis restituentibus caeteri liberentur ab obli- gatione: alios tantum secundario et minus principaliter sic ut si

(1) D. 19, n. 78.—(2) V. Les. L. 2, c. 13, n. 64.

ab aliis praeveniantur, liberi maneant: si autem primariis deficientibus restituantur secundarii, primarios pro rata sibi obstrictos habeant. Hinc restitutione condonata principaliter obligato, caeteri secundarii liberantur, non e contra. 2.^o Inter obligatos hic ordo servandus est: a) ante omnes tenetur is, apud quem res est in se, vel in aequivalenti; quia titulus rei acceptae praecedat titulum injustae acceptionis. b) Mandans vel qui fraude, vi, aut minis inducit, hic enim moraliter est causa principalis. c) Executor, qui licet respectu praecedentium sit causa secundaria, respectu tamen subsequentium est causa principalis (1).

THESIS XXI.

Res aliena, a fure bona fide empta, furi, eam domino non restituro, licet reddere ad pretii recuperationem.

135. **Nota.** Restitutio per se facienda est rei domino, cum ipsius sit res et non alterius. Hinc qui bona fide accipit a fure rem alienam titulo gratuito, ubi deprehenderit esse alienam reddere debet domino. Si tamen certus sit rem a fure restituendam, aut absque ulla difficultate a domino recuperandam, quocumque titulo rem acceperit, potest justam ob causam eam furi reddere, v. g. ad vitandam propriam jacturam aut furis infamiam; quia, cum eo casu dominus non possit esse rationabiliter invitus, censetur consentire.

Controvertitur vero an cum moraliter certum sit, furem rem alienam domino non redditurum, liceat habenti eam bona fide ex contractu oneroso, furi prae domino reddere ad pretium recuperandum? Duplex est sententia: 1.^a affirmat cum Navarro, Lessio, Lugone, Turriano et aliis. 2.^a negat cum Covarruvias, Molina, Soto, Layman et aliis, quorum sententia est etiam valde probabilis.

Prob. Secluso contractu aut delicto, nemo tenetur cum damno gravi proprio, conservare apud se rem alienam, ut domino suo restituatur; cum ad id dominus nullum habeat jus. Ergo... *Antec.* probatur his exemplis: a) Si bovem proximi a fure ereptum ducam, ut illum reddam suo domino, et in itinere advertam illum esse cornupetam et quod forte occidet bovem meum, possum ad vitandum meum damnum illum dimittere, etsi praevideam redditurum ad furem. b) Possum librum Petri, quem Petro redditurus a fure eripui, furi reddere, si fur pallium meum eripiat, illudque nolit reddere, nisi reddam Petri librum: ergo similiter possum reddere rem alienam furi, alia lege nolenti mihi reddere meam pecuniam.

(1) V. Lugo D. 19, sect. 4.

Obj. Sicut fructus rei alienae pertinent ad ejus dominum quocumque casu producantur, ita melior status quem res aliena habet, pertinet ad utilitatem domini quocumque casu acquiratur: ergo non potest emptor bonae fidei, sciens rem esse alienam, eam a bono statu quem habet apud se reducere ad deteriorem quem prius habebat in manibus furis.

Resp. Dist. *conseq.* Ergo non potest directe et positive; conc. Indirecte et negative; neg. nempe non conservando positive ejus meliorem statum. Cum enim emptor non possit recuperare suam pecuniam, nisi deserat custodiam rei alienae, eam deserit habens se permissive, illam in meliori statu non conservando. Sic, si Petrum ex incendio ereptum teneas manibus suspensum, et alius interim te comburat, nisi Petrum dimittas, potes illum dimittere, licet certo relapsurus sit in ignem solum permissive te habens, ut damnum proprium vites (1).

De possessore malae fidei in casu praecedentis theses idem sentiunt Alensis, Silvester et alii cum Diana, juxta Malderum non improbabiler et juxta Lugonem consequentius ad probatam thesim. Oppositum tamen, quod communissime tenent auctores, est multo probabilius saltem ab auctoritate et in praxi ut videtur tenendum. Ratio est: quia emptor malae fidei tenetur ex injusta acceptione.

SCHOLION I.

De restitutione incertorum bonorum.

136. Bona incerta dicuntur, quae alicujus sunt, vel alicui debentur et facta diligenti inquisitione, ignoratur cujus sint.

Dico: Bona incerta habita ex delicto restituenda sunt pauperibus, aut piis causis.

Ita DD. communiter, quia nemini sua fraus patrocinari debet et contra naturam est alienis pecuniis ditescere. Pro bonis incertis inventis, et habitis ex contractu sine delicto vide Thesim X.

SCHOLION II.

Quando restituendum.

137. **Dico:** Restitutio facienda est statim moraliter.

Dicimus moraliter i. e. cum primum possit absque notabili in-

(1) Ex Platelli post Lugonem a. n. 738.